

tendum, si, uti Philosophum decebat, Dei naturam, mundi leges, boni ac mali causas, fortunae vices contemplari, quam meras mythologorum fabulas sequi malebat. Sequebatur quidem eas, ut et reliqui omnes ejusdem aetatis; verum ut scribendi materiam haberet, non tanquam ex animo eas amplecteretur. Scilicet vere magni ingenii est altiora semper et veriora affectare; superstitiosi hominis veterem viam idcirco, quia vetus est, insistere, ab eaque nolle ne digitum quidem recedere. Illud alterum faciebat Euripides; minus faciebant, quia aut non audebant aut parum curabant, Aeschylus et Sophocles. Maneat illis semper sua fama, vireat semper laurea; tertium defendere non est a reliquis duobus quicquam detrahere. Injusta esse videntur quae in Euripidem, deos scilicet esse negantem, vulgo jaciuntur. Sunt enim, qui tragicum nostrum iis adnumerent,

in Fortunae qui casibus omnia ponant,
Et mundum nullo credant rectore moveri,
Natura volvente vices et lucis et anni.

Vera quidem de unius Dei Natura si non omnino perspexit (id quod nulli mortalium datur penitus perspicere), contigit tamen illi, ut opinor, totam quaestionem animo diu pervolvisse, et, ut viro honestissimo, cum ipso etiam SOCRATE conjunctissime viventi, aliquid divinae veritatis degustasse. Quod ne cui temere dictum videatur, monendum est, si quis hac de re recte judicare voluerit, ei praecipue deperditarum fabularum fragmenta perlegenda esse; ex queis, tanquam consulto in hujus rei testimonium servatis, clarissime elucere sentiet et mentem et vere divinum ingenium poetae.

Sed de hac quidem quaestione in diversa abeunt doctorum opiniones. Sive poeta, sive philosophus, seu denique vulgaris vitae sectator fuerit EURIPIDES, et legitur, et legetur. Nos, si modo hac nova tragoediarum ejus recensione id effecerimus, ut a pluribus majore etiam cum fructu et voluptate legatur, operis satis laboriosi in posterum non poenitebit.

Dabam PETROBURGI,
Id. Jun. MDCCCLVIII.